Hii sunt lupi rapaces intrinsecus eo usque ovium
pretendentes quousque ovile possint subintrare dominicum
quod per ipsorum introitum desiderant demoliri. Hii sunt
pessimi. Hii sunt filii pravitatum a patre nequicie
et pravitatis auctore ad simplices animas destinati.
Hii colubri qui columbas decipiunt. Hii serpentes
qui latenter videntur serpere et sub mellis dul-
cedine virus evomere ut vite cibum ministrare se si-
mulent a cauda feriunt et mortis poculum velud
quoddam dirissimum venenum immiscent. Horum secte
ut ne publicum prodeant non sunt veteribus
nominibus vel quod est forte nefandius non contente ut vel
ab Arrio Arriani vel a Nestorio Nestoriani aut a
similibus similes nuncupentur, sed in exemplum martirum qui pro fide
catholica martirium subierunt Patarenos se nominant
velut expositos passioni. Hii vero miseri Patareni a
quibus abest sancta credulitas divinitatis eterne
sub uno contextu nequicie in simul tres offen-
dunt deum videlicet proximos et se ipsos: deum dum dei fi-
dem et filium non agnoscunt; decipiunt proximos dum
ipsos sub specie spiritualis alimonie heretice pravita-
tis oblectamenta ministrant; crudelius et seviunt in se
ipsos dum post animarum dispendium corpora demum se-
vientis mortis illecebris quam per agnitionem veram et vere
fidei firmitatem possent evadere, vite prodigi et necis
et necis improvidi sectatores involvunt, et quod est ipsorum
durissimum superstites et non terrentur exemplo. Contra tales deo
et hominibus sic infestos continere non possumus motus
nostros quin debite ultionis in eos gladium exeramus,
tanto ipsos instancius persequentes quanto in evidenciorem
delusionem fidei christiane prope Romanam ecclesiam que caput
est ecclesiarum omnium iudicatur superstitionis sue sce-
lera lacius exercere noscuntur, adeo quod ab Ytalie
finibus presertim a partibus Lombardie in quibus pro certo
perpendimus ipsorum nequiciam lacius habundare iam
que usque ad regnum nostrum Sicilie sue perfidie rivulos
derivantur. Quod acerbissimum reputantes statuimus
in primis ut crimen heresis et dampnate secte
cuiuslibet quocumque censeatur nomine sectatores prout
veteribus legibus est indictum inter publica crimina
numerentur, immo crimine lese maiestatis nostre debet
ab omnibus horribilius iudicari quod in divine maies-
tatis iniuriam noscitur attemptatum quamvis in iudi-
cii potestate alterum alterius non excellat. Nam sicut
perduellionis crimen personas adimit dampnatorum
et bona dampnat post obitum memoriam defunctorum
sic in predicto crimine quo Patareni notantur per omnia vo-
lumus observari. Et ut ipsorum nequicia qui deum non
sequuntur sed in tenebris ambulant detegatur
nemine et deferente investigari volumus diligenter hu-
iusmodi scelerum patratores per officiales nostros sicut et alios
malefactores, quos ab inquisitione notatos et si le-
vis suspicionis indicio tegantur a viris ecclesiasti-
cis et prelatis examinari iubemus; qui si inventi fu-
erint a fide catholica saltim in articulo deviare
ac per ipsos pastorali more commoniti tenebrosis
diaboli relictis insidiis nolint agnoscere deum lucis
sed in erroris concepta instancia perseverent, in nostre le-
gis edicto dampnatos morte pati Patarenos alios-
que hereticos quocumque nomine censeantur decernimus, quos
affectant ut vivi in conspectu hominum comburantur
flammarum commissi iudicio, nec dolemus quod in hoc
ipsorum satisfacimus voluntati ex quo penam solum
nec fructum alium consequuntur erroris. Aput nos
pro talibus nemo intervenire presumat quod qui fe-
cerit in ipsum nostre indignationis aculeos non
immerito convertemus. *Alia constitutio Fr. imperatoris contra Patarenorum fautores.*

Patarenorum receptatores
credentes et complices et quoscumque modo fautores qui
ut a pena alios possint eximere de se velud im-
providi non formidant publicatis bonis omnibus re-
legandos in perpetuum esse censemus et ipsorum filii ad
honores aliquos nullatenus admittantur. Set si
tamen aliquis fautor huiusmodi deduxerit aliquem patarenum
de cuius perfidia manifeste probatur in fidei pre-
mium quod agnovit forme pristine de imperiali cle-
mencia restitucionis beneficium in integrum consequatur.

Incipiunt capitula constitutionis contra Patarenos.

Speroni-
stas Leonistas Arnaldistas Circum-
cisos Passaginos Iosephinos Garatenses Alba-
nenses Franciscos Bagnarulos Comistos Walde-
nenses Bingarios Communellos Barrianos cum
illis de aqua nigra et omnes hereticos utriusque sexus
quocumque nomine censeantur perpetua dampnamus infa-
mia, diffidamus atque bannimus, censentes ut bona
talium confiscentur nec ad eos ulterius revertantur
ita quod filii ad eorum successiones pervenire non possint
cum longe sit gravius eternam quam temporalem offendere ma-
iestatem. Qui autem inventi fuerint sola suspicione
notabiles nisi ad mandatum ecclesie iuxta consideracionem
suspicionis qualitatemque personam propriam innocenciam congrua purga-
cione monstraverint tamquam infames et banniti ab
omnibus habeantur, itaque si sic per annum permanserint extunc
eos sicut hereticos condempnamus. Statuimus et hoc
edicto in perpetuum valituro ut potestates et consules seu
rectores quibuscumque fungantur officiis quod
pro defensione fidei prestent publice iuramentum quod
de terris sue iurisdictioni subiectis universos hereticos
ab ecclesia denotatos bona fide pro viribus extermi-
nare studebunt, ita quod amodo quandocumque quis fuerit
in perpetuam potestatem vel temporalem assumptus hoc
teneatur capitulum iuramento firmare. Alioquin
neque pro potestatibus neque pro consulibus habeantur eorumque sen-
tencias extunc decernimus inutiles et inanes. Si
vero dominus temporalis requisitus et monitus ab eccle-
sia terram suam purgare neglexerit ab heretica pravitate
post annum a tempore monicionis elapsum terram ipsam ex-
ponimus catholicis occupandam, qui eam extermi-
natis hereticis absque ulla contradictione possideant et
in fidei puritate conservent, salvo iure domini tempo-
ralis dummodo super hiis nullum prestet obstaculum
nec aliquod impedimentum apponat, eadem nichilominus le-
ge servata contra eos qui non habent dominos principales.
Credentes preterea receptatores defensores et fau-
tores hereticorum bannimus statuentes ut si quis
postquam quilibet talium fuerit excommunicatione notatus
satisfacere contempserit infra annum extunc ipso iure
sit factus infamis et ad publica officia seu con-
silia vel ad aliquos eligendos huiusmodi non ad testimonium
admittatur, sit et intestabilis ut nec testamenti
liberam habeat factionem nec ad hereditatis successio-
nem accedat, nullus ei preterea super quocumque negocio
sed ipse sed ipse aliis respondere cogatur. Quod si forte iudex
extiterit eius sententia nullam optineat firmitatem
nec cause alique ad eius audientiam perferantur. Si fuerit
advocatus eius patrocinium nullatenus. Si tabel-
lio eius instrumenta per ipsum confecta nullius
penitus sint momenti. Adicimus insuper quod hereticus per-